De praxi Provinciæ Hispaniæ Ord. Prædic. eius que iure Dissertatio; pro supplici insinuatio 213
ne ad Rmũ P. N. Mag. Ord; et quæ pro debito reddenda ratione super obiectis, et a sua Rmã Patᵉ. com
minatis in actis Provinciæ, in suis litteris: nec non de alijs quæ postmodum acciderunt.

Sub suprema suæ Rmæ Paternitatis censura.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit Potestati Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Rom. 13 v. 1. et 2.

Ex præscripto D. Petri Apostoli parati esse debemus semper ad satisfactionem omni poscenti; potiori iure Rmũs P. N. Mag. Ordinis, qui pro suprema in ordine authoritate omnium nostrarum animarum curam libere gerit, hoc nostræ reverentiæ specimen, et debitæ obedientiæ et observantiæ humile obsequium, et officium exposcit, ut cum timore et modestia cons cientiam habentes bonam, circa nostræ praxis exponamus. Ita fit, ut minime in dubium versa suprema authoritate et potestate Paterna, œconomica, et iurisdictionali, qua Cap. Generale, et Mag. Ord. gaudent in universum ordinem, singu las Provincias, Conventus, et Fratres; et debita obedientia, quam nedum propter iram, sed potissimum propter conscien tiam iuxta præscriptum Apostoli profitemur erga sublimiores potentias; acquiescat tamen Rmus P. N. praxi Provin ciæ, quæ iure stat ex privilegijs ipsi concessis pro maiori regulari observantia, iuxta circumstantias gentis, et loci. Porro in hoc non abre facturos, nec ingratum suæ Rmæ Patⁱ. futurum, pro ea, quam semper experti sumus, be nignitate, nobis certissime pollicemur: uti quod huc viâ aures accomodabit benevolas supplicationi Provinciæ, et insinuationibus de alijs, quæ forsam Atomacum fecere suæ Rmæ Paternitati; aut de quibus, ut pote non suo nomine factis immerito carpatur Provincia, aut eius R. A. Præsul: nam iuxta 22 Regulam in 6. Non debet aliquis alterius odio prægravari.

Cap. 1. Quorsique protendatur ius Provinciæ in observantia legum Capitulorum Generalium.

Vim legum a subditorum acceptatione non pendere, quinimo eam extinguere ex sua specie, nisi aliter de mente legislato ris constet, certus est, quam ut probatione egeat. Libertatem item posse dari a lege communi, vel ex privilegio, vel ex canonica præscriptione manifestissimum est. Sat fuerit meminisse Cap. Cum olim §. Quia vero ex Inoc. 3. extra de Privilegijs: sicut etiam certum est, quod, qui illam prætendit, nisi manifestissima sit, debet ex altero horum capi tum documentis ostendere: de quo expresse deciditur, in Cap. Cum Persona eodem tit. in 6.

Præoculis etiam habendum, quod cum acta Capitulorum Generalium velut codices sint plures colligentes leges: aliud est talem codicem seu totam collectionem recipere, aliud singulas ad praxim deducere leges: et primum potest separari a secundo. Et potest esse Privilegium ad secundum, non stante privilegio ad primum. Et ma nifeste patet, quod per leges tales universaliter procedentes in totum ordinem (nisi aliud expresse caveatur) non derogatur specialibus statutis vel privilegijs Provinciarum vel conventuum, in illis ordinationibus, quæ ex diametro sæpius possent cum illis opponi. De hoc in his quæ accidunt in Provincijs nostri ordinis suppetunt plura exempla, quæ brevitatis ergo mittimus, et quivis facile nespro inveniet in compilatione Mag. Fontanæ. Sacris hoc in cap. Licet de constitutionibus in 6. Bonifacius VIII dixit. Licet Romanus Pontifex, qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem, quamvis de ipsa non faciat mentionem, revocare nos citur. Quia tamen locorum specialium, et personarum singularium consuetudines, et statuta, cum sint facti, et in facto consistant, potest probabiliter ignorare, ipsis (dum tamen sint rationabilia) per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.

Circa acceptationem actorum Capituli Generalis, et ordinationum Mag. Ord nullam prætendit hæc Provincia exemptionem, nec aliquo se tuetur privilegio aut præscriptione: quin ab actis Cap. Gen. Papiæ 1507 acceptatis omni humilitate et reverentia in Capitulo Provinciali Zamoræ 1508 (de antiquioribus non extat memo ria) omnia, quæ postmodum ad Provinciam directa sunt, eadem reverentia acceptata sunt: et quandoque pluribus iam lapsis annis ab Capituli Celebratione, cum expressa protestatione, quod antea Provinciæ non innotue rant, ut patet in Cap. celebrato Matriti 12 Maij 1669, in quo acceptantur acta Cap. Gen. Romæ 1656, cum hac protestatione, ut patet ex actis.

Difficultas ergo penes hoc tantum stat: sitne Provinciæ integrum, aliquas ordinationes, quantum ad pra xim non acceptare: ita ut iuxta iuris regulas contra eas lapsu temporis præscribat? In Provincia fuisse tale ius

AVSA

Jure gaudet Provincia privilegio non recipiendi ordinationes, quas iis (?) dixerat pro loco et tempore non convenire Provinciae.

evidenter demonstrant acta Cap. Provincialis celebrati Salmanticae in conspectu Capituli Gen. anno 1551: in quibus sub titulo acceptationes, ita habetur: *Item acceptamus acta Capituli Generalis eodem tempore et loco celebrati, praeter illa, quae derogant sive constitutionibus, sive Privilegiis nostrae Provinciae, tam in ordinationibus quam in promotionibus.* Et ne videatur hoc temere factum, animadvertere placet, definitorium integrum fuisse ex literatissimis, et piissimis, si qui tunc erant aliqui in Europa, viris. Praeerat Provinciae insignis ille vir Bartholomeus Mirandensis Carranza, post Archiepiscopus Toletanus: Diffinierunt Sap. Fr. Dominicus Soto in Concilio Tridentino clarissimum lumen, nulli non notus: et piissimi sanctitate spectati Fr. Ildefonsus de Fonte (?), et fr. Didacus Ruiz Prior Palentinus (?); quod, illo in tempore arctissimae illius conventus disciplinae, erat vehementissimum sanctitatis indicium. Et in hac praxi processit provincia usque ad praedictum

Cap. Palenti. in 1575:

Cap. Provinciale celebratum in conventu Stae Mariae de Atocha Matritensi de quo num 3: aliquando simpliciter aliqua acta acceptando: aliquando aliquas ordinationes, quae minus accomoda visa sunt pro regulari observantia secundum circunstantias et praxim provinciae excipiendo: ut patet ex actis Capit. Prov. 1583 in Civitate Taurensi: et 1593 in villa Ocaniensi: et 1603 in conventu Stae Mariae Regalis de Nieva: et 16.. in conventu Stae Mariae de Atocha: et Benaventano 1617: et Burgis 1623: et Taurensi 1631: et Beneventano 1629: et tandem in Matritensi relato: in quibus respective acceptantur Cap. Gen. praecedentium proxime acta, exceptis aliquibus, quae ibi signantur; semper facta mentione privilegii Provinciae circa hoc. Quae omnia praescriptionem canonicam, quae ex quadraginta annis resultat, satis ostendunt.

Jus stat ex canonica praescriptione

5 At dices non adesse Legislatoris adhuc consensum interpretativum: cum obstet Cap. Gen. Romae 1589. declaratione 12 ubi quatenus opus est auctoritate Apostolica revocantur omnia privilegia, et si quae sunt consuetudines non acceptandi in aliqua Provincia Cap. Gen. acta. Cuius declarationis et revocationis monemur in Cap. Gen. Parisiis 1611: Ulisipone 1618: Mediolani 1622.

6 At huic praescriptioni non obstare, vel hinc constat, quod post illam universalem revocationem factam Romae 1589, a qua robur habent caeterae admonitiones, servata est haec praxis, ut ex actis Capit. Provincialium citatis constat: et adhuc post haec personaliter visitavit Provinciam Rmus. Ridolfi (?) nec de hoc Provinciam coarguit, imo magnopere laudat eius disciplinam ut ex eius ordinationibus constat. Quod in praedicto cap. Matritensi nullae exceptae sunt ordinationes; hoc privilegio facultativo non officit, ut fert communis sententia: et supponit N. Passer. in caput *Cum ex eo* de excessibus Praelatorum, num 85. Quod si in casu dubii de Privilegio, consuetudo praescripta dat absque dubio manutentionem ut docet Idem Passer. de statibus quaest. 189 art. 10 inspect. 10 num. 796: adhuc dato quod non constaret de Privilegio convenienter (?) univoce, non deberet reprobari haec praxis.

7 Porro ne temere videatur inducta ab ea, quae, cum primas habeat inter Provincias ordinis, prima fuit, et est in obediendo Superiorum mandatis;+ quod per ipsos non sit ipsi facultas aliter operandi producamus iam in medium privilegia ipsa. Mittimus breve, quod in schedula quadam, quae extat in Archivio Salmantino, asservari pro hoc dicitur in Conventu Cordubensi. Forsan ita est, et alia

+ Tendatur (?) hoc ius in Privilegiis concessis Provinciae

fuerunt in tot iis Provinciis, item in conventibus Provinciae Beticae, quae cum hanc Provinciam in illo tamen tempore divisionis manserunt circa annum 1515. Primum quod apud nos extat habetur ex literis Rmi Mag. ord. Fr. Leonardi de Mansuetis, cuius meminit Fontana sub titulo Provinciae Hispaniae ex registro: et licet ibi non fiat mentio consensus Cap. Gen. 1474, quo in anno expeditae sunt literae, in transmissis tamen ad Provinciam, dicitur quod de consensu Capituli Generalis sit potestas Provinciae transmissas ordinationes ad praxim deducere: alias si non placuerint essent nullius valoris.* Quod autem per hanc facultatem factam etiam in futurum intellexerint, inde constare videtur; quod inter alias gratias pro quibus ad Sedem Apostolicam recurrerunt, et quas Inoc. VIII de consilio Mag. ord. ubi dicitur concessit in bulla expedita 4 Idus ... Pontificatus anno 5: quae originalis extat in conventu Salmantino, et cuius transumptum habetur inter ... Lepio (?) huius Pontificis: 3. in compendio authentico Privileg. Reg. Fr. Eman. Rodriguez: confirmantur gratiae factae ...

Privileg. Rmi Mag. ord. Fr. Leonardi de Mansuetis confirmatum bulla Innoc. VIII

*Quam gratiam cum aliis factis a praefato Generali confirmavit Sixtus IV in bulla expedita 3 Kal. Junio Pontif. anno 4. hoc e anno 1478, non credo e 9 Aug. 1471 ... Bulla orig. in archivio S. Pauli Vallisoletani (?)

congregatione a Prefato Rmo Mag. ordinis Fr. Leonardo de Mansuetis. Frustra autem hoc peteretur pro illis tantum ordinationibus. Potuerunt autem tunc temporis sic interpretari gratias, et confirmationem earum factam per Bullam Innoc. ex vivæ vocis oraculo subscripto ab Emin. Card. de Top inserto actis Cap. Salm. 1589: in quo inter alia concedit idem Innoc. VIII Prælati congregationis, quod cum duobus iuris peritis et aliqua persona in ecclesiastica dignitate constituta possit iudicialiter interpretari quævis privilegia concessa cum ordini, tum congregationi: cui omnes possent tuto stare. Et licet vivæ vocis oracula fuerint revocata per Greg. XV, et Urb. VIII: effectus tamen ab ipsis ante talem revocationem præstiti subsistunt, ut constat ex ipsis revocatoriis: et amplius ex declaratione Sac. Congregat. 2. Apr. 1625 ad instantiam Procuratoris Gen. ordinis quam refert Castell. de elect. cap. 5. n. 37. Nec moveat, quod hæ gratiæ concessæ sint congregationi: nam cum hæc cum omnibus suis iuribus translata sit in Provinciam; imo per id tempus, iam fere omnes conventus sub congregatione essent; hoc iure Provincia gaudet.

8. Clarissime facultas Provinciæ in hac parte constat, ex literis Rmi P. Mag. ord. Fr. Ioannis de Fenario insertis in actis Cap. Taurensis 9. Maij 1533, quæ ita habent. In Dei Filio sibi charissimo R. P. Provinciæ Hispaniæ Ord. Prædic. Fr. Ioannes de Fenario Bononiensis professor ac ejusdem ordinis humilis Mag. Gen, et servus Salutem et Spiritus sancti Consolationem. Quia nihil nobis in hoc sublunari orbe infixum adeo animo sedet, quam ut in universa religione nostra vitam regularem ubique vestitiamus, pro qua præter labores assumptos hactenus, ad hoc supremum nostræ Religionis Magisterium nonnullos subire parati sumus: ideo ut eiusdem vitæ regularis amatores paterno amore, et favoribus etiam prosequamur opportunis: hinc est quod Reverendæ Paternitati vestræ, quam reformatissimæ Provinciæ præesse, ac prodono et vita regulari viriliter decertare cognovimus, petenti aliqua honesta pro prædictæ reformationis conservatione, nihil negare voluimus. Auctoritate igitur nostra tenore præsentium in primis concedimus &c. Ipsos ut recipi ignaros grammaticæ, dum ad sacros ordines non nisi idoneus assumatur: item quod assignatus etiam a Mag. ord. intelligatur assignatus accedente Provincialis consensu. Quodque (prosequitur) cum aliquid vobis a superioribus præceptum fuerit; si forsan regulari vitæ non conducere visum fuerit, non teneamini ad illud, nisi post secundam iussionem; nisi in dicto præcepto fuerit facta de his expressa mentio &c. Concedit item facultatem designandi horam dicendi matutinale officium ante vel post mediam noctem, prout Religioni et studio conducens visum fuerit et alia. Dat. Romæ in nostro conventu Minervæ die 30 Iunij anni 1532. assumptionis nostræ anno 1. Reg. fol. 2. primi registri.

Eidem promotioni nempe maioris regularis observantiæ studio processerat Innoc. VIII in laudata bulla. Sacræ religionis (inquit) puritatem ubique vigere sinceris desideriis affectantes, illa quæ propterea facta comperimus, ut firma perpetuo, et inconcussa permaneant, libenter, cum a nobis petitur, Apostolico munimine roboramus, ac pro Religionis ipsius confirmatione, et manutentione statuimus, et ordinamus prout cognoscimus in Domino salubriter expedire::: Nuper exhibita petitio continebat, quod olim Leonardus de Mansuetis tunc Mag. Generalis totius Ord. Prædic. nonnullas gratias eidem congregationi concessit, quæ postmodum per fælicis recordationis Sixtum Papam IV Prædecessorem nostrum Apostolica auctoritate confirmatæ fuerunt &c. Ex quibus, adiuncta decretali Bonifacij VIII de qua num. 2, habetur, quod etsi universales leges, quæ in Capitulis Generalibus feruntur, ad universale bonum ordinis collineent; ex facti tamen circumstantijs contingere posit ut in aliqua Provincia, earum aliqua, vel aliquæ minus faveant: et consequenter utile sit et pietati ac Religioni favens Privilegium, quo Provincia bona fide suo spirituali bono prospiciens eas non servet in praxi.

Et ut omnis abeat scrupulus, et liquido constet privilegium hoc Provinciæ non esse revocatum per illam declarationem Apostolica auctoritate factam in Cap. Gen. 1589: placet producere verba actorum Cap. Provincialis Ocaniensis 9 Maij 1593: quæ sic habent: Acceptamus acta Cap. Gen. Venetijs celebrati sub Rmo P. N. Mag. ord. Fr. Hyppolito Maria Becaria anno 1592, 17 Maij in festo SS. Pentecostes. Et gaudentes privilegio et consuetudine nostræ Provinciæ, de voluntate eiusdem Rmi P. N. Mag. ord; pro nostra Provincia, atque pro actis prædicti Capituli eximimus illud quod dicitur in Confirmatione de novitijs &c.

AVSA

Dispensatio [?] non est valde hoc Privilegium q.

Ipsa ultima Cap. 1669 facta mentione Privilegii [struck through] tequrit 1° ro. ut exciperentur aliqua: et tamen confirmata fuit a R.mo P. Ord.

Illud privilegium cum Ordinalibus

11 Ex quibus plura habemus. 1°. per illam generalem revocationem non esse revocatum hoc privilegium et Provinciae consuetudinem: si quidem antiquum privilegium memorant. Et hoc ideo quia vel per illas clausulas generales non videtur derogatum concessis causa pietatis; cum summum ius sit quod pro Religione facit ff. de religione et sumpt. fun. leg. Sunt Personae. Vel, quod probabilius aestimamus, quia ibi tantum derogatur consuetudo vel Privilegium non acceptandi acta ea ratione, qua diximus num. 2 et haec consuetudo cum unitatem ordinis videatur scindere, potius corruptela esset, et cum irrationabilis sit abrogari debuit iuxta Cap. Consuetudinem, de consuetudine in 6. = 2° habetur quod si forte derogatum fuit, revixit de voluntate Mag. ordinis. Quum postea forte de hoc fuerit lis; in Cap. Provinciali Burgis 7. Maij 1623: sic habetur: Acceptamus acta Capituli Generalis proxime praeteriti anno 16.. salvis iuribus et Privilegiis nostrae Provinciae; pro quibus informationem offerimus Sanctissimo, si opus fuerit. At Mag. ordinis acquiescente Provincia in sua praxi permansit ut vidimus num 2. Et praxis ipsa excipiendi aliquas ordinationes confirmata est a R.mo Mag. ordinis in actis Cap. Provincialis 166. in quibus excipiuntur aliqua ex actis Cap. Gen. 1656. Nam per id tempus, ab anno 1559 in quo electus est Provincialis R. A. P. fr Franciscus de Arajon, iam mittebantur acta ad R.mum; licet ordinatio Cap. Gen. Valentiae 1647 quatenus ad hoc rigorose obligabat fuerit excepta in actorum acceptatione facta in Cap. 1649: et iterum in praedicto Cap. 1669 excipiatur declaratio 6 praedicti cap. Gen. 1656 quoad obligationem, et quatenus videtur tollere vim ordinationibus Cap. Provincialis quousque a R.mo P. Mag. ordinis confirmentur: cum hoc iure constitutionum non esset exactum.

12 3°. 4°. in illis verbis cernere licet, id quo omnia inconvenientia vitantur, quae prima fronte hinc viderentur pullulare. Nam cum excepta in his actis esse disciplinae regulari faveant: ut aliqua lex circa depositum particulare: ne privilegii, quod tantum pro disciplina regulari concessum est, transiliremus (et ipsi de gravissimis viris suspicari debemus) pro maiori forsan inconvenienti vitando, et sic tandem pietati vellent consultum iri; particularem tamen requisiverunt Mag. ord. voluntatem ad aliqua praedicti ordinis acti excipienda. Sed dum adhuc antiqui privilegii meminerunt, signum manifestum est quod ex voluntate Mag. utrumque factum est; et quod aliqua, de quibus posset esse dubium an ad illa extenderetur privilegium, exciperent: et quod in antiquo Privilegio perdurarent.

13 Et quidem optimo iure. Tum quia ipsa Provinciae legitime praescripta consuetudo interpretatur legem Cap. Gen. 1586, ut non ad hoc privilegium extendatur revocatio: nam hoc consuetudinem efficere, si sit rationabilis patet ex cap. non est de consuetudine in 6: ut potius cuius tanta sit vis, ut potius ipsi, quam rigori verborum legis, imo plus quam probabiliori sententiae in legis intelligentia sit standum ex Prospero Fagnano et aliis docet N. Lauer. in Cap. Consuetudinem lib 1. decret. quaest 1. artic. 10 maxime a num. 298. = Tum quia pietatis et religionis causa obtentum est; et hoc late interpretari debet iuxta communem, etiam si aliquomodo deroget iuri communi. Tum quia ex illo nullum debitae obedientiae, et regularis disciplinae imminet nocivus. Nam privilegium tantum est erga ea, quae bona fide videntur pro circumstantiis temporis et loci disciplinae regulari non favere: et consequenter ad excipienda, quae faveant, non datur privilegium, ut patet ex eorum tenore, et causa finali expressa: nam non est ad arbitrium Provinciae aut Provincialis libitum: sed ad arbitrium Religiosorum virorum zelo religionis actorum. Unde si forte, sine novo Privilegio exciperent, quae re vera faverent regulari observantiae Provinciae; illa re vera non essent excepta, et vim ligarent: nisi contra ea esset praescriptio iuxta communes regulas iuris.

Privilegium Provinciae tantum est ad ea excipienda quae bona fide putantur hic et nunc minus convenientia observari Pro.

14 Tum quia non est Privilegium ad finaliter excipiendum, et non obediendum mandatis superiorum; sed supplicandum secundum iurisnorem. Integrum ergo manet Cap. Gen. et Mag. ord. si quae excipiantur, iterato procurare. Et licet tunc detur locus supplicationi Provinciae, et expositioni causae exceptionis ut Mag. ratam eam habeat; si tamen adhuc illa ordinatio seu mandatum executione dignum Mag. censuerit, absdubio ligare poterit Provinciam, ut exequatur. Suppetit huius exemplum in illa ord.e qua cautum est, ne Praedicatores Generales in conventibus suae institutionis non assignati gratiis gauderent. Excepta fuit haec in Provincia. At cum R.mus Mag. ordinis non acquiesceret, obtenta est a sua R.ma Paternitate dispensatio pro illa vice, et ut ferrent suffragium in Cap. Provinciali Tauvensi 30 Aprilis 1635 ut denuntiatur in eius actis ubi quod deinceps servaretur ordinatio Cap. Gen: licet nunc non servetur ob specialem circa hoc Privilegium Provinciae

Concessum a R.mo Boxio.

concessum a Rmo Mag. ord. Fr. Thoma Turco; q. denuntiatur in actis Cap. Benav. 7 Maij 1645.

15 Hucusque ergo recapitulando dicta habetur, quod tam ex privilegio, quam ex canonica praescriptione gaudet Provincia iure non exequendi usque ad secundam iussionem mandata Superiorum, sive in Cap. Generali, sive per Mag. ord. praecipiantur; q. laudabili Provinciae praxi, et consuetudini opponuntur. Porro ~~nam~~ ex consuetudine laudabili non violata non modicum resultare bonum ex decretis patet dict. 12 cap. Ridiculum: adeo ut D. Th. 1. 2. q. 97 art. 2. ex eo q. ipsi legi ipsi consuetudini nititur, infert, q. quaevis mutatio legis, et idem est de laudabili consuetudine quae lex etiam est, quantum in se est habet detrimentum quodam communis saluti. Et ideo (inquit) numquam debet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur. Quod quidem tantum contingere debet, ex hoc quod aliqua evidentissima utilitas ex novo statuto proveniet: vel ex eo, quod est maxima necessitas, ex eo quod lex consueta aut manifestam iniquitatem continet, aut eius observatio est plurimum nociva. At quia legem humanam quandoque mutari expedit, et licet, ut idem S. Doct. docuerat ibid. art. 1; si vel lex nova antiquis non opposita, vel et si opposita, praedictis conditionibus (ut de Superioribus gravissimis nostri ordinis semper praesumi debet) gaudens, et disciplinae regulari favens: vel si oppositio non manifeste pateat: vel saltem secunda iussio adsit, et resolutio vel non interponatur, vel non admittatur, Provincia ex obedientia legi parere tenebitur: et absque dubio parebit pro sua, quam semper professa est, religiosa modestia.

Sic, et cum dictis moderationibus intelligimus ius et privilegium Provinciae. Quod si forte quis (quod non credimus futurum) ex his qualitatibus vere affectis, abuteretur; delictum esset personae: contra regulam iuris: Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum. De reg. iuris in 6. 56. In se peccaret, qui disciplinam regularem laxaret, abutendo privilegio ipsi regulari disciplinae concesso. At non ob id privilegium ipsum in se sua fraudaretur utilitate, aut hoc esset Provinciae deputandum.

Et quia de legum utilitate non aliter melius iudicium fertur, quam ex consideratione morum, quas moderantur, operis pretium erit producere insigne testimonium, quo pateat, ratione exceptionum, quas hoc privilegium peperit in actis Capitulorum Generalium, nec in minimo deformatam Provinciam; aut in ea non splendere illum ~~ra~~ nativum colorem, quem universus ordo praefert, ex directione constitutionum, et sanctissimarum ordinationum Capitulorum Generalium. Extat hoc in ordinationibus, quas ratione personalis visitationis huius Provinciae, pro ea reliquit Acerrimi iudicij, et flagrantissimi Zeli vir Rmus P. Mag. ord. Fr. Hom. Turcus, et quas edidit 27 Aprilis 1647 in conventu S. Pauli Cordubensis Provinciae Betticae: quae ~~qui~~ primum notificatae sunt Provinciae in Cap. Benaventano 25 Aprilis 1649, et in eius actis insertae, sicut et in alijs sequentibus Cap. Taurensi 1654. Tarat in eis aliqua, quae in visitatione animadvertit circa libertatem electionum: multiplicationem praeceptorum: dispensationem in lectionibus: segnitiem aliquorum lectorum transcribentium de cartha, ut inquiunt, in papyrum: gravam dispensationem nummorum pro ingressionibus per antiqua statuta depositorum ex spolijs defunctorum: vestiarij provisionem: Fratrum minus habilium gravam manutentionem; et commorationem fratrum minus necessariam extra conventus ratione eleemosynarum. At iudicium q. de decore Provinciae efformavit, his expressit: Non sine magna animi voluptate, ac singulari spiritus recreatione vidimus, ac perlustravimus in personali visitatione nostra facta per nos in fine anni 1646 et principio 1647 statum praecipuorum conventuum, quos per Dei misericordiam, tam in regulari disciplina, quam in studio literarum satis florentes, et observantes deprehendimus; cum tam Superiores Praelati, quam subditi mores suos, ac vitam conformiter ad sacras constitutiones, ac statuta Praedecessorum nostrorum in Capitulis Generalibus sancita, non segniter omnes componere studeant. Hactenus laudatissimus vir.

Nec post haec adeo deflexerimus a maiorum vijs, quin idem possit de Provincia testimonium perhiberi. Nempe, si quae maiores nostri exceperunt (nam ~~de~~ praecedentibus actis iam nobis non licet exceptiones addere) non ea sanxerunt, quae proximius actiones regulent, vel in iudicialibus, ceremonialibus, aut moralibus; sed minutiora quaedam, quae magis praeambula, ad politicam monasticam diceres: et quae minus necessaria visa sunt: et certe utiliora via ad actiones ipsas praescriptas ea quae praxis Provinciae dictabat pro loco, tempore, et gente, seu hominum genijs. Et de hoc argumento hactenus: nam pro firmissimo ipsi confirmationis obtinendae a N. Rmo ~~nihil~~ aliquid addidisse decerpsisse fuerit ~~nam~~ ~~licet~~ Concessum ~~beneficium~~ Principis beneficium esse mansurum. 21. de reg. iuris in 6.

Qualitas exceptionum

Cap. 2. Insinuatio supplex, qua Provincia obiectis satisfacere nititur.

19 Prov. 21. v. 28.

Viro obedienti victoriam pollicetur divinum oraculum: ut non immerito a benignitate Rmi P. N. Mag. ord. spondere sibi possit pax in precibus, quas hæc Provincia, et eius R. R. Praesul, qui nihil cunctatus illico ac literas Suæ Rmæ Paternitatis accepit super actis novissimi Cap. Benaventani 1713, eas denuntiavit Provinciæ, literis datis 17 octobris eiusdem anni. Obedientiæ non praepostero ordine succedunt preces; et ut graviori testimonio firmentur Consilium Patrum Provinciæ vocat: de quorum integritate fas non sit locum suspicioni dare, nitantur ne veritati.

20 Inter alia, quibus hæc Provincia decorata est, privilegia, extant inserta in actis Cap. Salm. 8 sept 1489, literæ Rmi Mag. ord. Fr Ioachimi Turriani datæ Romæ 28 Aprilis eiusdem anni registrata a fol. 5: quarum aliquas clausulas hic inserere visum est, quia valde ad praesens accomodatæ. Quoniam (inquit) saepe numero contingit, quod Vicarii Generales vestræ praelibatæ congregationis propter variam et sinistram quorundam perversorum Fratrum informationem amoventur, et suspenduntur ab officiis suis; propter quod dissensiones, distorbia, murmurationes, et alia inconvenientia multa oriuntur: istis omnibus occurrere, ac obviare pro viribus cupientes; tenore praesentium statuo, volo, et ordino, ut quantumcumque de cetero futuris temporibus aliquæ literæ super absolutione vel suspensione Vicarii Generalis dictæ congregationis pro tempore existentis a Generali Magistro emanent; quod Vicarius Generalis eis obedire non teneatur, usque ad ulteriorem informationem per maiorem partem Priorum sive Praesidentium dictæ congregationis eidem Generali Mag. factam; de quorum quidem consensu, et non aliter absolvi, vel suspendi possit &c. Hæc sapientissime et prudentissime Rmus: ex quibus si iuxta legem non possunt ff. de legibus argumentari licet, idem in aliis gravioribus saltem negotiis aequitatem postulare non inepte deducemus: maxime cum sit hoc adeo consonum canonico iuri extra de probationibus: exigente etiam naturali iure, ut in fide facienda publicæ privatis praeferantur personæ. Cap. Quoniam: tit. cit. de probationibus.

Literæ Rmi quibus occurrit incommodis quæ nascuntur ex suggestionibus delatorum ad Rmos

21 Ob hoc, ne forte sibi in sua causa dicenti suspectum redderetur testimonium, consilium Patrum Provinciæ vocavit, ut diximus, R. A. Praesul Provinciæ: ex quorum deliberatione matura Rmo P. N. Mag. ord. sequentia videntur humiliter suggerenda. 1º dum Provinciam carpit in denuntiationum tenore, qui ut in actis novissimi Capituli, primo appositus est in Cap. Benaventano 21. Aprilis 1709. Quaenam fuerit primo denuntiantium sub his vocibus mens, coniicere possumus ex similibus denuntiationibus, quæ extant in actis cap. Prov. 1621: 1559: 1662: et 1665: et quæ sub admonitionum titulo passim inveniuntur in Capitulis Generalibus, revocati in memoriam aliquibus specialiter, non quia negligantur alia, sed quia pro temporis circumstantiis particularis de his notitia visa est communi utilitati expedire. Quod si in phrasi, quam a maioribus acceperunt, forsam redoleant illud Provinciæ privilegium de quo in superiori capite deservimus; non inde nos est taxare audemus. Quin fidimus de benignitate Rmi N. P. Mag., quod de Provinciæ nostræ fundatissimo et utilissimo iure per nostræ humilitatis insinuationem certior factus, libenter annuet, et Reverendissimorum suorum Praedecessorum statuta sua suprema authoritate firmabit: uti humiliter petimus et obsecramus. Nam particularibus Provinciarum privilegiis et legitimis consuetudinibus ac probatis, per generales Capitulorum Generalium ordinationes minime derogatum iri, cum multa alia suadent; insigne est testimonium in Cap. Gen. Romæ sub Rmo P. N. feliciter ordinem moderante Mag. Fr Antonino Cloche 28 Maii 1694 dum in ultima ordinatione pro studiis, a lege communi expiciunt Provinciæ, in quibus sunt iura aut legitimæ consuetudines gaudendi gratiis Magisterii receptis in Universitate, etiam sine specialibus literis Magistri Ordinis.

Satisfacit Provinciæ primo obiecto a Rmo in denuntiationibus.

22 Unum hic antequam reliqua persequamur, animadvertere visum est; non absque speciali reflexione in actis Provinciæ denuntiatam esse concessionem factam a Cap. Gen. Bononiæ 1706 Praedicatoribus Generalibus huius Provinciæ, qui gradu Praesentaturæ iam gaudebant, ut manutenentur in sua possessione. Denuntiata est

Unum nempe

AVSA

ob reuerentiam Capituli Generalis, et ad declinanda et vitanda dubia quae suboriri possent de iure suffragij, si for tam quis niteretur eos priuare tali iure ob ordinationem, cuius meminit laudatum Capitulum Gen. At non possumus non Rmo P. N. insinuare, quod cum ferretur illa ordinatio in Cap. Gen. 1583 sub Rmo Mag. ord. Fr Sixto Fabro: in Cap. Prouinciali immediate sequenti Taurensi 12 Maij 1585 sub R. A. P. Fr Ioanne de las Cuebas, postmodum episcopo Abulense: definiente inter alios Fr Ioanne de Orellana Collegij D. Gregorij Vallisoletani Regente, et nec dum in litoris nemini secundo, ita habetur. Acceptamus acta Capituli Generalis Romae celebrati in conuentu S. Mariae super Mineruam in festo SS. Pentecostes anno Dmni 1583 die 28 Maij. Sed iustis de causis visum est expedire bono huius Prouinciae regimini, quod aliqui Patres in ea et modo, et in posterum utroque titulo Praesentaturae scilicet et Praedicaturae Generalis gaudere et honorari possint, quamuis in una ordinatione dicti Capituli Generalis aliter sit ordinatum &c: et tantum illa ordinatio acceptatur quoad alteram partem nempe quod scholasticis non conferatur Praedicatura Generalis. Equidem de hac exceptione facta vi Priuilegij, et consequenter de iure quaesito Prouinciae et eius Praedicatoribus Generalibus vi eius, ne hoc honore fraudentur dum praesentantur, dubitari non potest; cum sit facta ante annum 1589, in quo primum authoritate Apostolica reuocata sunt priuilegia acta non acceptandi.

Longum esset nimis, persequi utilitates huius praxis saltem in hac Prouincia. Sat sit reflectere in inconueniens; quod nempe ius suffragij in grauissimo negotio Prouinciae auferatur dignioribus et insignioribus Praedicatoribus. Facilius describerentur incommoda, quae Prouincia in euangelici ministerij et ordini Caracteristici subijt a tempore, quo scholasticis, qui munera a constitutionibus parata subierant pro tali gradu denegata est Praedicatura Generalis. Omnes fraudati sunt; scholastici hoc honore, quo tandem in Prouincia maximus erat: et Praedicatores titulares; dum honor vilere coepit, et parum abest quin pro nihilo habeatur. Qualis et quanti fuerit ante hanc immutationem in Prouincia Praedicatura Generalis ex antiquioribus capitulorum Prouincialium actis dignoscitur. In Cap. Prouinciali Salmanticae 11 Nou. 1522 in cuius actis inseritur Praedicatorum Generalium per suum ordinem cathalogus: in quo describuntur Fr Petrus Legionensis Mag. et Primarius Salmanticensis: Fr Gregorius Pardo Mag: Fr Didacus de Vitoria Mag, et est ille insignis euangelij praeco, quo titulo illum decorat Pius V in bulla pro confraternitate SS. nominis Dei. Fr Ioannes Hurtado Mag, dignus qui primus ordinis Patribus conferatur. Fr Dominicus Pizarro, qui fuerat Prouincialis: Fr Bernardus Manrique, Prouincialis postea, et episcopus Malacitanus. Fr Ioannes a Toleto dudum ad legendas sententias in gimnasio Salmantino expositus, post S. R. E. Cardinalis: Fr Lupus de Gaybol vir insignis zeli et virtutis. Ita qui scholas non regerant per concionem aspirabant cum primoribus Prouinciae viris in honore coaequari, et honor, qui artes alit, Prouinciae celeberrimos parturiebat Praedicatores. Tunc Praedicatura Generalis excellebat Praesentaturae. Quanto plus vileret, si illam velut plus ascendens relinquat Praesentatus? Vt humiliter petimus, vt Rmus P. Noster relinquat saltem Prouinciam in usu ab illo anno 1585 seruatae praxi. Sed progrediamur ad reliqua.

Arguit item Rmus P. N. Prouinciam de non seruata lege iustitiae distributiuae in collatione graduum. Fatemur iustitiam distributiuam locum habere in honorum collatione in ordine nostro: uti saepius inculcant Capitula Generalia, et discretiuiue docet Sap. M. Bañez 22. q. 63 art. 2. dub. 3. ad 6. At maiorem dignitatem non pensari ex maiori aetate, aut antiquitate declaratur in Cap. Gen. Barcinone 1574. ordin 6. et 11. et Romae 1580: et 1589. et Vallisolet. 1605 ord. 7 praecipitur potissimum attendi sufficientiam et mores. Et licet hae ordinationes videantur solum procedere de promouendis in studijs, ob identitatem rationis militant in gradibus. Et in specie promouendorum ad gradus ita praecipitur Bononiae 1615 cap. pro reformatione studiorum apud Fontana de Gradibus num. 3: apud quem sunt aliae ordinationes nuper citato titulo de Magistris Studentium num 7. Cum ergo haec debeant omnia attendi; quae oculatius, ut plurimum, perspicient grauissimi Definitores cum suo R. A. Prouinciali, quam priuati suggestores; quaesumus Rmus P. N. Mag. ord. ut sui Rmi Praedecessoris, cuius literas iam produximus num 20, inhaerens uestigijs Definitorio potius faueat. ~~*~~ Non ambigimus, quin grauissimi ~~fuerit actus fundamenti~~ in sua sententia. Sed facile subrepere potest in suggestione dolus, et in tanta locorum distantia forsan bono communi praeualeret, aliqualis Praelati error, quam subditi animos parui pendendi animuere. At in hoc semper humili reuerentia et Nostri Magistri correctiones audimus, et eius nedum gesta, verum singularem erga nos omnes prouidentiam ueneramur: obsecrantes tamen, ut factum reualidare dignetur.

+ 26 Non deflectimus hic ad vnestas argutias, quas haud innubiles posset parere exceptio facta in Cap. Prouinciali 1649, cuius meminimus num 11. super ordinatione Cap. Gen. 1647 de obligatione mittendi acta ad Rmum Mag. ordinis, et derogatione virium actorum donec confirmentur: ex quibus quis posset deducere. Quod hic non audiuere certissimum est.

* procedat semper Rmus P. N. Mag. ordinis

forsan minus similiter bono communi, ex aliquali Praelatorum errore, dato etiam quam ex eo quod subditi ... [illegible]

quod licet expositus praeinie a Provincia non possit gradum assumere ante approbationem Mag. ord, vel Cap. Generalis iuxta constit. ordinis: tamen ille qui iam gradum accepit per literas Rmi Mag. ordinis, et unice acceptatus ipse Provincia, vere acceptatus maneret; nam ipsa acceptatio gradus iam approbati a Mag. ord. inter acta Capituli [non se immiscens Provinciae castillationibus] requisita sunt viro religioso, et qui contendere non venit, sed obedire, prorsus indigna. Sin ultimam ordinationem Cap. Gen. 1677, quae licet tantum sonare videatur de expomendis, ratio tamen est ut intelligatur de omni promotione graduum Magistro ordinis notificanda, ut ipse habita cognitione eorum rationem habere possit in distribuendis gradibus. Hoc ordo hierarchicus exposcit, et si nulla de hoc daretur specialis ordinatio: immerito quidem, et omnino contra ius et fas negaretur Magistro ordinis iurisdictio, et potestas corrigendi, et emmendandi in quacumque Provincia, si quae forsan sunt commissa contra debitum ordinem et iustitiam. Unde adhuc dato quod nec in expositione ad gradus, esset necessaria Magistri ordinis approbatio; nullus nisi unitatem ordinis scindens, posset denegare in hoc Magistri ordinis potestatem. Haec ergo minime in dubium versa, tantum circa factum procedit Provinciae humilis insinuatio.

Circa augmentum graduum etiam petimus ut sua Rma Paternitas pro sua suprema authoritate, et paternali providentia statuat, quod prout sibi latiori expedire iudicaverit. Primum advertere placet, quod cum per breve Clem. 8 in favorem Provinciae expeditum 29 februarij 1592, cuius originale extat in Conventu Vallisoletano, inter alia sit concessum, quod nullus non postulatus et acceptatus a Provincia gaudeat privilegijs graduum, et numerus Magistrorum coarctetur ad 16: et praesentatorum ad 36, ex quibus possint esse quatuor pro pulpito: postea ad petitionem Provinciae concessi sunt alij duo pro pulpito in Cap. Gen. Valent. 1647: et alij quatuor pro schola exorati in Cap. Bonon. 16.. et alij duo pro pulpito in Cap. Taurensi 1683.

Cap. 3. De his quae acciderunt occasione electionis Prioris in Conventu S. Pauli Vallisoletani.

De hoc libenter siluerimus, si cum certis documentis et authenticis notificarentur R. A. P. N. Provincialis. Ita in primo capitulo praeambulo ad electionem, e quibus scandala quivis prudenter timeret, Vicarium misit virum illo caractere insignitum, prout poscebat negotij arduitas, Magistrum in hac Provincia. Cum cassata esset prima electio, literas pastorales ad PP. a consilijs dedit zelum spirantes et orationes inducentes pro ira Dei placanda. Dum electus recusavit: ut maiori maturitate procederet Salmanticam se contulit hoc unico fine ut gravissimorum illorum Patrum consilio ageret. Egit quod sibi aequum fuit. ~~[illegible]~~ Avocata causa ad Rmum electionem cassavit. Omnia veneramur; nihil discutimus.

Recurritur ad Supremum Regium Senatum; ut appellationi ad SS. deferatur, in hac Provincia inauditum ad vitanda maiorum mandata factum lugemus. Legimus nostras constitutiones, bullam Leonis X, breve Iulij II, iudicium Sap. et Illustr. Episcopi Bravo super his suis doctissimis dissertationibus de stat. civ. disp. 1. diff. 2. Audimus Apost. 1. Cor. cap. 6 increpantem simili recursu. Audimus et Iacobum Apost. in sua canonica cap. 2 dicentem eos simili ad tribunalia trahentes, ... blasphemari bonum nomen, quod ex professione Religiosa super nos invocatur. Haec ... lugemus, maiora sibi mala pertimescentes; et quod hac semel admissa via penitus obedientia ...

At dicimus, quod delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare. 73: de reg. iuris in 6: nec debet aliquis alterius odio praegravari Reg. 22. Hoc factum non abrogit ... iam, nec eius R. A. Praesulem: nam imputari non debet per quem non stat, si non faciat quod fuerat faciendum. Reg. 41. Non latent nos gravissima poena, nec officium debitum Praesulis super hoc R. A. P. N. Provincialis, ut debitus Rmae ~~Paternitati vestrae~~ servetur honor, et ~~vestra~~ sua suprema authoritate sententia stet in hoc negotio. Quod si non ita fecerit, ut efecerit, hoc ... quorum malitiam addat tamen ... ~~[illegible]~~ iuxta praeceptum Apostoli, et nobis praecipuum propositum thema, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, ad ~~vestram~~ suam Reverendissimam Paternitatem recurrit, iuxta praeceptum regularum, quod modum et vires eius excedit. Speramus benedictionem Paternam, benignum favorem, nostrae gravis confirmationem, cum auxilijs, ne pestis haec imminens sequatur, et sergat: interea opto ut Rmam suam Paternitatem ordini et nobis omnipotens Deus servet incolumem.

[Left margin notes:]

fecerit Prov. castillationes necessitate exigunt

quibus proinde non utitur haec Provincia, in qua ante confirmationem gratiarum a Mag. ord. factam iam nullus promotus gradus gaudet: et quod ita sua iura defendit; ut tamen sententias Mag. ord. ea qua par est reverentia semper prosequitur.

necessitate tamen acti, et ut gravius suggestionibus occurramus, implorantes etiam auxilium, de hoc argumento pauca delibamus.

Reg. 22.

dum Sanctissimus (si forte causantur aliqui) aliud non diffinierit.